Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

flammea posita esse memoratur que et
uersatilis dicitur. pro eo quod quandoque ueniret
tempus ut etiam remoueri potuisset.
Nec tamen ita iustorum animas ad infer-
num descendisse dicimus ut in locis pe-
nalibus tenerentur. Sed esse superiora infer-
ni loca. esse alia inferiora credenda sunt.
ut et in superioribus iusti requiescerent.
et in inferioribus iniusti cruciarentur.
Unde et psalmista propter preuenientem
se dei gratiam dicit. Eripuisti animam me-
am ex inferno inferiori. Beatus igitur iob
ante mediatoris aduentum ad infer-
num se descendere sciens. conditoris
sui illic protectionem postulat. ut a locis
penalibus alienus existat. ubi dum ad re-
quiem ducitur. a suppliciis abscondatur.
Unde subiungit. Et abscondas me
donec pertranseat furor tuus. Furor
etenim omnipotentis dei in hoc cotidie uim
sue districtionis peragit. quod uiuentes in-
digne dignis suppliciis demergit. Qui
furor nunc equidem transit. sed in fi-
ne pertransit. quia modo agitur. sed in mundi
termino consummatur. Qui tamen iste
furor quantum ad electorum animas in re-
demptoris aduentu pertransiit. quia
eas ab inferni claustris ad paradysi
gaudia mediator dei et hominum dum
ipse illuc pie descenderet reduxit.
Inter hec uero sciendum est quod furoris nomen
diuinitati non congruit. quia naturam
dei simplicem nulla perturbatio confun-
dit. Unde ei dicitur. Tu autem dominator uirtu-
tis cum tranquillitate iudicas. et cum

magna reuerentia disponis nos. Sed
quia iustorum anime per mediatoris ad-
uentum erant quandoque ab inferni locis
quamuis non penalibus liberande. hoc quod ius-
tus uir preuidet. et petendo subiun-
git. Et constituas michi tempus in quo recor-
deris mei. At ubi uenit plenitudo
temporis. misit deus filium suum. factum
ex muliere. factum sub lege. ut eos
qui sub lege erant redimeret. Hanc
itaque redemptionem uir domini presciens
in qua erant multi etiam ex gentilita-
te liberandi. sicut ipse ait. Licet hec ce-
les in corde tuo. tamen scio quia uni-
uersorum memineris. apud omnipo-
tentem dominum tempus sibi constitui sue
recordationis petit. Hinc est quod in eu-
angelio dominus dicit. Et ego si exalta-
tus fuero a terra. omnia traham
ad me ipsum. omnia uidelicet elec-
ta. Non enim ab inferno rediens dominus elec-
tos simul et reprobos traxit. sed inde
omnia sustulit. que sibi inhesisse pre-
sciuit. Unde etiam per osee prophetam dominus di-
cit. Ero mors tua o mors. morsus tu-
us ero inferne. Quod enim occidimus
penitus agimus ut non sit. ex eo enim quod
mordemus partem abstrahimus. partem
que relinquimus. Quia igitur in electis suis
dominus funditus occidit mortem. mors mor-
tis extitit. quia uero ex inferno partem
abstulit partem reliquit. non occidit
funditus infernum. sed momordit. Dicit
ergo. Ero mors tua o mors. id est in elec-
tis meis te funditus perimo. Ero morsus